

M A H



Small, illegible embossed text located below the central figure.

1 6 1 2



~~GA 27~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-39.

SIGNAT. CLDCCCXIII.

DE
HAMARTIGENIA,

SEV
CAUSA PECCATI;

Disquisitio:
instituta;

In congressu Pastorum, sacrorum curam
agentium, in Ecclesiis, quæ Diocæsi, & jurisdictione, Illu-
strum, ac Generosorum Dn. Dn. Baronum à Wolff-
stein / Dn. Dn. in Obernultsburg / &
Pyrbaum / continentur.

à

M. IOHANNÉ KAVFMANNO
Noribergense, sacrae adis in Obernultsburg
moderatore; & vicinarum Ecclesiarum
Inspectore.

Anno τῆς παρθενότητος.

1609.



L I P S I Æ

MICHAEL LANTZENBERGER
excudebat.



D E

HAMAR TIGLIA

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z



Ad Christianum Lectorem *ἑσφρασις.*

N exercitiis *ἑσφρασις*, amice Lector, elaborant Philosophi, multum industria ponunt Medici, acrius desudant Jurisperiti: cur nos, quos *DEVS* Ecclesiae suae excubitores constituit, & quibus animarum cura commissa & concredita est, manum in sinu foveremus, eandemq; sub pallio habentes, ocio indulgeremus? Nonnullis quidem, per placet illud Ciceronis, (*Lib. Rhet. ad Herennium*) Tacere, & nihil scribere, est modestia, *Cor-*
datoribus verò, magis arridet gravior, & concinna *B. Augustini* sententia, optandum esse, ubi haereses vigent, ut, quicumq; aliqua scribendi facultate praediti sunt; ij scribant omnes, etiam si, non modò de rebus iisdem, sed eadem etiam, atq; verbis fortassè aliis scripturi: quò communes veritatis hostes infensissimi, *ἔξοθεν ἢ οἰκοθεν* percipiant, Ecclesias orthodoxas, non alere adversariorum opinione eiusmodi duntaxat Pastores, verius bubulcos dixerim, qui teneant aratrum, & quorum in ore, atq; sermone, taurorum progenies

A 2

genies solum versetur, vel tales, quales ille dixit:
Nos numerus sumus, & fruges consu-
mere nati: sed potius, qui pro re natâ, cum
ipsis, adversâ fronte, manus conserere, & signa
conferre audeant, hoc est, in acie, adversus om-
nem ἑτεροδοσιαλίαν subsistere, & pietatis, do-
ctrinaeq; studia defendere, ac propagare queant.
Huic præclaro instituto, ne meo quoq; in quo
me Deus opt. Max. loco esse voluit, deessem,
sed pro virium mearum portiunculâ, quocunq;
modo satisfacerem, has de Hamartigeniâ, seu
causâ peccati, positiones Theologicas, non pri-
vati tantum juris, ut Πίκευφοι solent, sollicitè
caventes, ne quid ex huiusmodi ἱερογυμνάσµασι
in vulgus Christianorum emanet, sed, aper-
tam veritatem amans, juris etiam publici esse
volui: non ut laderem, sed ut fidem ederem,
non ut causam Ecclesiarum nostrarum odio-
sam redderem, sed ut commendarem. Tuum
erit, Lector benevole, Musis meis favere, quod
submissè peto: menti infixum tenens illud: ἐν
μεγάλῳις δέχει, ἢ τὸ δέληµα µόνον. In magnis
voluisse fat est. Vale, & salve.

DE



DE CAUSA PECCATI
Disceptatio Theologica.

T H E M A

I.



Quamvis μόνη ἰασις ἀμαρτίας, ὁμολογεῖν, id est, ingenua peccati confessio, sola sit erroris medicina, a facilius etiam misericordiam, & veniam delictorum impetret, non abscondens scelera sua, sed qui confessus fuerit, & reliquerit ea, b Peccati verò negatio, juxta vetus Rabinorum adagium, geminum sit peccatum: c tamen, omnes hominum mentes, ita sunt comparatae, ut peccati à se culpam, quantum possunt, vel cum Dei contumelià amoliantur, incusando alios, semetipsos excusent; velociores semper ad excusationem quam ad confessionem peccatorum suorum. d

a Arian. lib. 7. *b* proverb. 28. v. 13. *Psal.* 32. v. 1. *1. Ioan.* 1. v. 8. *Eccl.* 4. v. 24. *c* Druf. decur. 1. adag. Hebr. proverb. 7. *d* August. de lib. arbitrio, lib. 3. cap. 3.

II.

Fecerunt id ipsum protoplasti in Paradiso, texentes ἑλκώματα, ad velamentum, non ad medicamentum, c cum primis Adam, primus Paradisi colonus, peccati culpam in Evam conjiciens, imò in Deum ipsum; Mulier, inquit ὕβεραικῶς, non viraginem, non carnem de suà carne nuncupans, quam dediisti mihi, f quasi diceret, interprete Dorotheo Episcopo, ἡ συμφορὰ ἡ ἐνεργασ κατὰ τῆς κεφαλῆς μου, id est, calamitas ista, quam in caput meum induxisti, decepit me. g

a Bernhardus. *f* Gen. 3. v. 12. 13. *g* doctrin. prima.

III.

Agitata fuit postmodum, hac ipsa de causâ peccati controversa.



proversa, acate Siracidis, sicuti disertis verbis, eiusmodi voces
jaectatas fuisse testatur; διὰ θεῶ ἀπέσω, propter Deum a-
best, scilicet sapientia: ^a αὐτὸς ἐμὲ ἐπλάνησεν: ipse me dece-
pit: ἔ, χάριον ἔχει, αὐδρὸς ἀμαρτωλῶ, opus habet, viro pec-
catore. ^b

^a Eccl. c. 15. v. 11. ^b v. 12.

IV.

Ne igitur peccati causam falsò, vel ad alienum principi-
um referamus, vel eandem à vero, atq. proprio principio remo-
veamus: hanc de Hamartigenia ^c seu causa peccati questio-
nem, ad διατελεσθὲν Theologicam revocare, ἔ, πρὶε discutien-
dam proponere, visum fuit.

^c Prudentius de Hamartigenia.

V.

Cum verò ὁμνημιόνδετα sint ὅσα τάξιν ἔχει, ^d quò in hoc ar-
gumento, commodius nostra versetur dissertatio, juxta metho-
dum Paulinam, ^e διδασκαλία partim, docendo consentanea,
partim ἐλέγχω, dissentanea refellendo utar: illa propugnabo,
haec verò impugnabo.

^d Aristoteles lib. 2. de memoria cap. 2. ^e in epistola ad Titum 1. v. 9.

VI.

Principio ergò ostendam ἀποφάσδε, inficiatione, quod Deus
Ter. opt. Max. neq. in se, neq. interventu astrorum, ἔ, syde-
rum, ullam peccati culpam sustineat: deinceps κατὰφάσδε affir-
matione planum faciam, in quo proprie, omnis peccati culpa
bareat.

VII.

Deum Opt. Max. omni peccati culpà vacare Φιλαληθῆ
Lectōri, tribus rationibus ad oculum demonstrabo.

VIII.

Prima ἀποδείξις, haec sit:

Cuius rei Deus est ultor, illius non est author. Peccato-
rum Deus est ultor constans, vindex acerrimus.

Ergò,

Ergò, peccatorum author perhiberi nequit.

Assumptum, præter quotidianam experientiam, confirmat; signorum ira divina adversus peccatum, evidentia, quorum tria sunt præcipuè: I. Scelerum detestatio, & sub maledictionis fulmine execratio. II. Pœnarum peccati irrogatio. III. Filij Dei in mortem traditio. De singulis ordinè dispiciendum.

X.

Quod Deus in verbo suo anathematizat, & extremè detestatur, id rectè se execrari testatur.

At qui peccatum anathematizat, ^a & extremè detestatur ^b

Ergò, se id rectè execrari testatur.

^a Deut. 27. Levit. 26. ^b Psal. 5. v. 5. 6.

X.

A peccantibus, & malum consciscentibus, capit pœnas, factis dignas. Non ergò peccatis patrocinatur. Antecedentis probationem præstat. I. Tristis illa κατακλυσµὸς universalis descriptio, de qua Lutherus rectè ^c Nos, inquit, saxei sumus, si ista ficcis oculis legere possumus. II. Terra Sodomitica exustio, de qua Iosephus: ^d Adhuc, inquit, in terra Sodomitica, divini reliquias ignis, & oppidorum vident quinque imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui quidem edulibus, colore sunt similes, Carpentium verò manibus, in fumum dissolvuntur, & cinerem: & addit; τὸ εἶδος αὐτῶν, ὡς τῆς ὀψείας. ^e III. Pœnarum, quas Jerusalem perpeffa est atrocitas: captivorum millia, occisorum myriades, horrenda intus fames, ita, ut parvulos suos, matres comederint. ^f

^c Comment. in Genesin. ^d Iosephus lib. 4. de bello Iudaico. cap. 27. ^e Idem, lib. 7. ^f Lucæ 19. v. 43. 44.

XI.

Sivro peccatis Filius Dei factus est victima ^e iram Dei, adversus peccatum, ineffabilem esse oportet.

Ante-

Antecedens verum, b Non falsum igitur consequens.

a Esa. 53. v. 5. Rom. 4. v. 25. 2. Cor. 5. v. 21. *b* 1. Tim. 1. v. 15.

XII.

Hinc pie Augustinus: c Agnosce homo, dum tantam redemptionis tuæ perspicias dignitatem, qui tibi inditus sit peccandi pudor: ecce, pro impio, pius flagellatur: pro stulto, sapientia illuditur; pro mendacio, veritas necatur, damnatur justitia, pro impio: misericordia afficitur, pro crudelibus; pro misero, repletur sinceritas aceto: inebriatur felle dulcedo; adducitur innocentia, pro reo: moritur vita, pro mortuo.

c Augustinus serm. 19. de tempore.

XIII.

Huic egregie succinit B. Bernhardus: d Vnde pudor, dolor, & timor unde? Ecce, quia ex consideratione remedij, æstimo periculi mei magnitudinem. Nesciebam; sanus mihi videbar, & ecce Filius altissimi mittitur, & occidi jubetur, ut vulneribus meis, preciosi sui sanguinis balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia fiat vulnera, pro quibus necesse est Dominum Iesum vulnerari: si non hæc essent ad mortem, & mortem quidem sempiternam, nunquam pro eorum remedio, Filius Dei moreretur. Utinam hoc stupendum testimonium iræ Dei, fatis intelligere possemus.

d Bernhardus Serm. de natali Domini.

XIV.

Deinde, à naturâ peccati sic ουλογιζουαι:
Omne peccatum, vel est ex ignorantia, vel ex impotentia, vel ex certa malitia.

Sed in Deum non cadit ignorantia, cum sit infinita sapientia; e nulla impotentia seu infirmitas, cum sit omnipotens, & infinita potentia; f nec aliqua malitia, cum sit infinita bonitatis. g

Ergo

Ergò nec peccatum. Propositio aperta est suà luce. Assumptio, adeò firma, ut nullum impetum extimescat.

^e Iob. 9.v.4. & 12.v.13 & 21 v. 22. 1. Tim. 1.v.17. f Gen. 17. v. 1. & 18. v. 14. Luc. 1.v. 37. Zach. 8.v.6. g Matth. 19.v.17. Lucæ 18 v.19.

X V.

Deniq, ex verbo Dei, sic colligo, Deus nihil odit eorum, quorum est causa efficiens: Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dicit Sapiens. ^a

Sed Deus odit omne peccatum ^b pariter odio sunt Deo, impius, & impietas eius.

Ergò Deus nullius peccati in nobis, author est.

^a Sap. 11.v.25. ^b Sap. 14.v.9. Zach. 8.v.17. Iob. 34. v.10. 2. Paral. 19. v.7. Habac. 1.v. 13.

X V I.

Firma ergò manet, superiorum argumentorum conclusio: quam suo quoq, calculo comprobat GREGORIUS MAGNUS; dum scribit: ^c Delinquentium mala videt Deus, non ut approbet, sed ut condemnet, non ut foveat, sed ut puniat: non ut semper patiatur, sed ut iudicio ulciscatur. Nullus ergò dicat, ait B. Chrysostomus, ^d Deus nobis auctor malorum: satius fuerit, sexcenties defodi, quàm Deum, audire talia, per nos.

^c Libro 29. moral. cap. 21. homilia 9 in Ezechielem ^d Homil. de interdictione arboris ad Adam. Item, hom. 23. in Acta Apostolorum.

X V I I.

Quanquam verò, nobis propositum non est, nostram doctrinã & fidem, autoritate hominum, quamvis maximorũ, confirmare, & commendare; πῶτ' enim ἐστὶ, ὁ πνευματικὸς λόγος τὰ ἄλοιπὰ πάντα, ἵνα ἴτετα, ut est apud Basilium: ^e nos tamen abs re facere arbitror, postquam nostram, quam profitemur, de hoc Christiana religionis capite, fidem, Verbo Dei niti, fulciriq, demonstravimus; si etiam veteris illius, & nobilis Ecclesiæ,

B

quæ

quæ statim post Apostolorum tempora, felicissimè floruit, eandem, perpetuamq; sententiam fuisse, proba vero.

^e In asceticis.

XVIII.

Omnes igitur Patres, tam Græca, quàm Latina Ecclesie, ἐξ ἐνὸς στόματος, ut cum Platone loquar, ὁμῶς: eandemq; sententiam inculcarunt: quod mecum fati buntur omnes, qui eorum scripta, vel per transfennam, ut dici solet, adspexerunt.

XIX.

Ex Græcis, ὁμοψήφως habemus, Clementem Romanum,^a Dionysium Areopagitam, ^b Iustinum, ^c Theophilum Antiochenum, ^d Tatianum, ^e Irenaum, ^f Clementem Alexandrinum, ^g Origenem, ^h Proclum, ⁱ Eusebium Cesariensem, ^k Athanasium, ^l Basilium Magnum, ^m Gregorium Nazianzenum, ⁿ Epiphanium, ^o Gregorium Nyssenum, Iohannem Chrysostomum, ^p Cyrillum Alexandrinum, ^q Theodoretum, ^r Isidorum Pelusiotam, ^s Dorotheum, ^t Abbatem, ^u Hesichium, ^x Iohannem Damascenum, ^y Theophylactum, ^z Oecumenium, ^{aa} Euthymium, ^{bb} Georgium Cedrenum, ^{cc} Hieremiam, Patriarcham Constantinopolitanum. ^{dd}

^a Lib. 5. recognition. & lib. 10. ^b de divinis nominibus par. 4. c. 4. ^c oration. 1. ad Gentiles: & in Dialogo cum Tryphone, paulò ante finem, quæst. 55. ^d lib. 2. ad Autolyicum ^e oration. 1. contra Græcos ^f lib. 1. cap. 29. Eusebio teste, lib. 5. hist. Eccl. cap. 19. ^g lib. 1. pedagog. cap. 8. & lib. 4. 5. ^h Philocalix cap. 25. Dial. 3. de ortu, & causâ malorum, lib. 6. contra Celsum ⁱ apud Epiphanium hæresi 63. ^k de præparatione Evangelicâ lib. 6. cap. 9. & lib. 8. c. 5. ^l contra idola. Item in vita S. Antonij ^m In Hexaëm. divini opificij hominis, homil. 2. 9. quòd Deus non sit author malorum. ⁿ Invectiva prima in Iulianum ^o contra Caianos, hæresi 38. & hæresi 66. contra Manichæos. ^p in libro de vita Moyfis, seu de vita perfectâ, homil. 2. in Ecclesiasten ^q hom. de interdictione arboris ad Adam. homil. 17. in 1. ad Corinth. hom. 17. & in 2. ad Tim. c. 3. homil. de lapsu primi hominis ^r lib. 1. epist. 249 ^s ad Esaiæ cap. 45. lib. 3. adversus Iulianum circa medium ^t lib. 5. de naturâ hominis, quæst. 37. in Deuteronom. ^u doctrina 5. ^x lib. 4. in Levit. cap. 14. ^y orthodoxæ fidei, lib. 2. c. 30. Dial. adversus Manichæos ^z ad caput 13. Matthæi ^{aa} ad caput 9. ad Romanos ^{bb} ad cap. 6. & 19. Matthæi ^{cc} in Heraclio, contra Mahometum. ^{dd} Respon. 1. ad Tubing. cap. 19. XX. Ad

X X.

Ad eundem quoque scopum collineasse animadverto, Latina Ecclesie scriptores, idem qui apertis, & expressis verbis luculenter confirmant, ^a Tertullianus, ^b Cyprianus, ^c Arnobius, ^d Ambrosius, ^e Prudentius, ^f Philastrius, ^g Hieronymus, ^h Augustinus, ⁱ Gaudentius, ^k Paulinus Nolanus, ^l Prosper, ^m Fulgentius, ⁿ Primasius, ^o Cassiodorus, ^p Fortunatus, ^q Gregorius Magnus, ^r Isidorus Hispalensis, ^s Beda, ^t Alcuinus, ^u Haymo, ^x Anselmus, ^y Hugo Victorinus, ^z Bernhardus, ^{aa} Thomas Aquinas, ^{bb} Richardus de media villa, ^{cc} Aegidius Romanus, ^{dd} Nicolaus Lyranus, ^{ee} Thomas Waldensis, ^{ff} Laurentius Justinianus, ^{gg} Dionysius Carthusianus, &c.

^a Contra Marcionem lib. 2. cap. 1. de oration. cap. 8 lib. adversus Hermogenem, cap. 9. ^b epist. 5 2. ^c Rhetor. lib. 2. adversus Gentes d lib. 2. cap. 8. Hexaem. lib. 2. de Isaac cap. 7. de paradiso cap. 8 lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. ^e de Hamartigenia ^f contra Coluthianos, qui Deum malorum dicebant esse factorem, hæresi 31. ^g ad cap. 45. Esaiæ. Item in lament. Ierem. cap. 3. ad cap. 1. ad Ephes. ^h de naturâ & gratiâ cap. 31 lib. 1. de libero arbitrio, cap. 1. & in lib. 83. quæst. quæst. 21. de peccatorum meritis, & remis. lib. 2. cap. 17. 18. De spiritu & litera cap. 31. ⁱ Tractat. 3. de Dominica Paschæ. ^k Epist. 36. ^l Epigram. 95. ^m Ad Monimum, lib. 1. cap. 19. & 20. 21. 23. ⁿ Ad cap. 2. 1. ad Timoth. ^o De amicitia, cap. de origine amicitie ^p libro 9. ^q lib. 29. moral. cap. 21. Homil. 9 in Ezechielem. In Psal. 4. pœnitentialem ^r de summo bono lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 5. ^s ad cap. 3. Marci ^t ad cap. 2. Eccles. ^u Homil. in die nativitat. Domini ^x lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis. Ad cap. 11. ad Rom. ^y ad cap. 1. Ioannis lib. 1. de sacramentis parte 5. cap. 27. ^z ferm. 4. de duabus mensis ^{aa} prima 2. q. 79. art. ^{bb} In lib. 2. sentent. dist. 34. art. 2. q. 2. ^{cc} In compendio Theologicæ Veritatis cap. 30. ^{dd} Ad cap. 4. Exodi ad cap. 15. Ecclesiastici. ^{ee} Doctrinalis fidei lib. 1. art. 1. c. 23. ^{ff} de contemptu mundi cap. 8. ^{gg} Ad cap. 4. Dionysij Arcopagitæ de divinis nominibus.

X X I.

Remotâ hoc modo à Deo peccati causâ αἰασυδασιμῶς, porro dispiciendum, num sydera & astra, pro locorum, & situs sui diversitate, sint vel κακοποιὰ, vel ἀγαθοποιὰ: ita, ut vim habeant, vel malè, vel benè faciendi, adeò quidem, ut culpa peccati illis mediatè imputari debeat, pro ut ὠροσκόποι, & cœ-

li volunt interpretes: quorum nonnulli eò progressi sunt, incredibilis audacia, & inconsideratissima temeritatis, ut perfrictâ fronte, & impudenti calamo scribere nō sint veriti: primos homines, non solo Diaboli instinctu, & assensu liberæ voluntatis, ruisse in peccatum, sed etiam impulsu syderum, & sinistro planetarum positu, fuisse incitatos ad peccandū.

XXII.

Nos, Astrologia illi iudiciaria, & naturali, quæ syderum vim, actiones, qualitates, efficientiam, quam motu luna, & arcanis quibusdam influxibus, in mundum inferiorem, subiectum luna videlicet, obtinent, perscrutatur; suum deferentes honorem, utpote, nunquam interdicta; superstitosam tamen illam, & legibus prohibita *κακοπραξίας*, quæ, ut ISIDORVS inquit, duodecim cæli signa per singula anima, & corporis membra disponit, syderumq; cursu, hominum mores, & vitia ac virtutes predicere conatur, cum piâ & religiosâ antiquitate, nec non potioris notæ scriptoribus neotericis, ac modernis, ^b ex Ecclesia, ac scholarum finibus exterminandam, & eliminandam, omninò censemus.

^a Euseb. Cæsar. præpar. Evangel. lib. 6. 7. 8. Basilius Hexaëm. hom. 6. Chrysofom. & Gregorius super Matthæi verba, de stella Magorum. Decreta adversus illos, part. 2. decretorum, cap. 26. Concil. Bracarense 1. cap. 9. & Toletan. 1. in assert. fidei contra Priscillianistas ^b Lutherus T. 4. Ienenf. Germ. f. 11. editione anni 56. D. Georgius Mylius in Aug. Confess. art. de causa peccati. D. Hutterus in eruditis suis in Aug. Confess. disp. disputatione de causa peccati, &c.

XXIII.

Cum enim homo ab origine sua, & natura corrupta, proclivem se reddat ad omne malum: ^c sensus etiam, & cogitatio humani cordis, in malum prona sit ab adolescentia sua, (non à syderibus) absurdum, imò impium est sentire, sydera influere, & inclinare, ad vitia.

^c Gen. 6. v. 5. & 12. c. 8. v. 21.

XXIV.

Peccatum insuper, est contra naturalem inclinationem, ideo

ideo sydera, cum naturam conseruent, impossibile est, ut ad peccandum inclinent.

XXV.

Peccatum postremò, maledictione committitur: sydera autem, cum à maledictione fuerint immunia, nullo modo ad peccandum, inclinatione ulla, hominem possunt dirigere.

XXVI.

Si qui ergò hæcenus secuti sunt Mathematicos peccantes, sequantur & pœnitentem, de quo B. Augustinus, suo tempore, cum coram sisteretur, & peccatorum suorum veniam deprecaretur, publicè dixisse fertur: "Iste ex Christiano & fidei pœnitens redit, & territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini: seductus enim ab inimico cum esset fidelis Mathematicus fuit seductus, seducens deceptus, decipiens illexit, fefellit, multa mendacia locutus est coram Deo; qui dedit hominibus potestatem faciendi quod bonum est, & non faciendi, quod malum est. Iste dicebat, quod adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus: & homicidium, non faciebat voluntas propria, sed Mars: & iustum non faciebat Deus, sed Iupiter, & alia multa sacrilegia non parua. Quàm multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? quàm multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus, Filij hominum, usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Modò, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, & multorum hominum interitum, se aliquando à Diabolo sensit illectum, convertitur ad Deum pœnitens. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum cap. 19. quia multi perdidit, id est, talium artium homines, & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos, ad Apostolos attulerunt, & incensi sunt libri tam multi, ut pertineret,

neret ad scriptorem; æstimationem eorum facere, & summam precij conscribere. Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales periti desperarent coram illo, qui novit quærere, quod perierat: Perierat ergò iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transierit: *Hactenus Augustinus.*

^a In commentario super psalmos, post enarrationem psalmi 61.

XXVII.

Causam omnis peccati, non Deo Evergeta ascribendam, sed ipsum prorsus αὐαίτιον esse, καὶ αὐτοπύθονον, postquam Deo doctrina orthodoxa commonstravi; nec peccatis fatum astrologicum obtendi posse, argumentis comprobavi: Concludo primam disceptationis nostræ partem, commemorabili B. Augustini sententiâ: Ut damnetur reus, inculpabilis est Deus.

XXVIII.

Nunc, quibus καύσγοις peccatorum culpa sit assignanda, & attribuenda, αὐαίτιος simul doctrina sophistica, breviter ostendam.

XXIX.

Prima igitur peccati causa est, & fuit Diabolus, qui totum terrarum orbem seducit, ^a impellens hominem ad peccandum: ^b & hominis voluntas, se à Deo avertens, & Diabolo obtemperans. ^c

^a Apoc. 12. Gen. 3. v. 4. 5. ^b Eph. 2. v. 2. 2. Tim. 2. v. 16. 2. Cor. 11. v. 3. Ioh. 8. v. 44. 1. Ioh. 3. v. 8. ^c Sap. 2. v. 24.

XXX.

Homo est peccati causa bifariam; vel sui, vel alterius. Vno modo directè, inclinando scilicet voluntatem suam, vel alterius, ad peccandum: altero modo, indirectè, dum scilicet, non retrahit aliquos à peccato.

XXXI.

Hinc

Hinc pulchrè; & scitè à Chrystostomo dictum: ἀμαρτία, ἐστὶ δαίμων ἐκείσθ, καὶ μανία αὐθαίρετθ: peccatum, est voluntarius, seu spontaneus dæmon, & furor sponte in-
vectus.

XXXII.

Huic suum adjungit suffragium, σκεῦθ alterum illud ἐκλογῆς, θεόγλωσσθ, καὶ θεοκίνητθ. LUTHERVS noster, inquiens; "Hæc regula certa, & firma est, Deum esse naturâ bonum. Ideò à Deo nihil proficisci, nisi quod bonum est. Mors autem est mala. Peccatum etiam est malum. Non igitur à Deo, proficiscuntur mala hæc. Peccati porrò, quæ causa sit, si roges: sacræ literæ ostendunt, id ex fatana esse, cui contra verbum Dei assenserunt nostri parentes, à Deo inobedientes facti, incurrerunt in horribiles pœnas.

^a In 13. caput Osee p. 672.

XXXIII.

Faceffant ergò CALVINI, & asseclarum eius, monstrosa dogmata, quorum recens memoria, tam multa nobis suppeditat, ut antiqua reticenda videantur; quibus non solum causarum peccati originem, sed etiam omnem in illis vim ætiosam & ἐνεργητικὴν Deo asscribunt, uti pulchella ipsorum emblemata, qua referre exhorresco, Diabolus ipse proferre, aut enuntiare reformidare posset, luce meridiana clarius demonstrant: Cujusmodi sunt;

I. Quod ORDINANTE Deo ceciderit Adam, seq̄ & posterios perdiderit.^b

II. Deum, ad tentationem hominis, Diabolo linguam serpentis, præter ordinarium usum COMMODASSE: quemadmodum, si quis alteri gladium, & arma, suppeditet.^c

III. Adulterium David, ad AVTHOREM Deum pertinere. Unum atq; idem facinus, puta, adulterium, aut homicidium

dium, quantum Dei authoris, motoris, & impulsoris opus est, crimen non est. ^d

IV. Quod latronis malam voluntatem Deus EXCITET ad interficiendum alium: nec eo Deus contentus, etiam dirigat eius manum, atq; telum, ut is interficiatur. ^e

V. Deum quosdam indurare, internâ quadam peculiari, sed ineffabili ACTIONE: eâque, vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium satana, eos in cœcitatem, obdurationem & prava desideria, IMPELLENDO, sed non cogendo. Neg; tamen Deum esse vel dici, peccati autorem, vel causam. ^f

VI. Primum hominem suam voluntatem in MALAM per se, sine Dei motu interveniente, transmutare non potuisse. ^g

VII. Damus, reprobos necessitate peccandi, eâque pereundi ex hac Dei ordinatione constringi: atq; ita constringi, ut nequeant, non peccare; ^h

^b Calvin. lib. de æterna prædestinatione Genevæ impresso 1552 fol. 916. Lib. 3. Instit. cap. 23. §. 8. lib. 1. instit. cap. 18. sect. 1. ^c super Genesin cap. 3. ^d Zvingl. par. 1. operum suorum lib. 1. de provid. cap. 5. fol. 364. & cap. 6. 365. ^e Beza, par. 1. volum. pag. 401. ^f Zanchius in Miscell. Theologicis, fol. 146. ^g Rennecherus in ferrea salutis Catena 41. ^h Zanchius in Miscel. Theolog. fol. 696.

XXXIV.

Non tam errorem, quàm insaniam; non tam insaniam quàm furorem; non tam furorem seu μανίαν, quàm horribilem impietatem, ad quam cœlum cohorescere, terra contremiscere, elementa stupefcere deberent, cuiusvis facile ostenderemus: nisi justo Dei iudicio, in transversum acti, δῆλοι ἱστί ἀτόπων, καὶ ὑπερόπαι τῶν ὀρθοδόξων, quorum glossa est αἰέλεγι, testes contra seipsos propria seclæ patronos haberent: quos nunc audiant iudices.

XXXV.

Majoris evidentie causâ, talem syllogismum propono: Deo attribuere, quod impellat homines ad delinquendum, est BLASPHEMIA, ⁱ teste Kimedoncio.

Zanchius

Zanchius id facit. ^a Blasphemus ergò, ex ore Kimedonci.

ⁱ Kimedoncius de redemptione generis humani 665.

^a In Miscellan. Theologicis fol. 146.

XXXVI.

Cùm Deo nihil magis proprium sit, quàm sua bonitas, ^b scribit Beza, ipsum à se abnegari oportet, & in Diabolum transmutari, si malum faciat. Quod inquit David, non Deus volens iniquitatem, tu es perpetuò, verum esse confitemur, & eum, qui secus sentiat, pro IMPIO, & BLASPHEMO HABEMVS. *Hæc fit Major.*

Iam subsumo: ^c Zvinglius, ^d Calvinus ^e Beza, secus sentiunt.

Impij ergò, & blasphemii censendi.

^b Volum. I. fol. 367. & 376. ^c par. I. operum suorum, lib. I. de provid. cap. 5. fol. 364. & cap. 6. p. 365. ^d par. I. volum. p. 401. ^e commentario super Genesin cap. 3.

XXXVII.

Quòd verò αυτοκατάκριτοι, erroneæ huic suæ opinioni, exemplis, & testimonijs scripturæ, fidem conciliare volunt; quæ peccati culpam, Deo videntur impingere: cujusmodi sunt: ^f Iosephi venundatio, ^g Iudæ traditio, ^h Christi in crucis patibulum suspensio, ⁱ impij ad diem malum creatio, ^k Regis Pharaonis, ad declarandam Dei iram concitatio, ^l populi Davidici dinumeratio, ^m subditorum, imperij habenas capeffente Heroboamo, rebellio, & imperij detrectatio, ⁿ Ieremiæ seductio, ^o mandatum Oseæ datum, contrahendi cum scorto matrimonium, ^p præceptum Abrahamo injunctum, de immolando filio suo Isaaco, ^q λοιδογία Simeï, & convitia, quibus virulenta lingua, Domino jubente, Davidem incessere non dubitavit; ^r peccatum Absolonis, polluentis uxores patris sui, ^s argumenta insuper alia etiam accumulans, ex ijs testimonijs, quibus dicitur Deus, miscere spiritum vertiginis, ^t in tentationem inducere, ^u tradere in sensum reprobum, ^x operari omnia secundum consilium voluntatis suæ, ^y omnia in omnibus agendo, ^z excæcare,

C

6

care,

care, & indurare efficaciter, ^a in errorem inducere, ^b pessimas cogitationes immittere, ^c abscondere mysteria regni cælorum, ^d largiri spiritum compunctionis, ^e mittere efficaciam erroris, ^f ut videntes non videant, audientes non audiant: hac & id genus alia, quæ ad præsentem questionem accommodare satagunt, ut magis impietatem suam prodant, divinis ipsis codicibus, vim, & manus inferendo, in eum reponemus locum, ubi de re ipsa dabitur, αὐτοπροσώπως disquirendi occasio.

f Gen. 45. v. 8. g Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Act. 1. v. 16. h Act. 2. v. 23. & 4. v. 28. i Amos 3. v. 6. Proverb. 16. v. 4. Esa. 45. v. 6. k Exod. 9. v. 16. l 2. Sam. 24. v. 1. m 1. Reg. 11. v. 27. n Jerem. 20. v. 7. o Os. 1. v. 2. p Gen. 22. v. 2. q 2. Sam. 15. v. 10. r 2. Sam. 12. v. 11. 12. s Esa. 19. v. 14 & cap. 39. t Luc. 11. v. 4. u Rom. 1. v. 28. x Eph. 1. v. 9. y Act. 17. Rom. 11. 1. Cor. 12. v. 6. z Exod. 7. 8. 9. Ioh. 6. v. 12. 1. Reg. 2. v. 25. a Esa. 63. v. 17. Ezech. 14. v. 9. & 20. v. 25. b Ezech. 38. v. 4. 10. c Matth. 11. v. 25. 26. d Rom. 11. v. 8. e 2. Theß. 2. v. 11. f Esa. 6. v. 9. Lucæ 8. v. 10. Matth. 13. v. 14.

XXXVIII.

Ut autem argumentorum istorum vim, & naturam penitus inspicere valeamus, & quæ ab alijs copiosè, & expansis velis, disputata sunt, in unum colligamus fasciculum, Lectori veritatis cognoscendæ cupido, sequentia theorematum Theologica, non quidem κατὰ τεχνολογίαν, sed Θεολογίαν, intuenda, & consideranda propono.

I. In malis operibus saepe accidit, ut actio sit mala, passio verò bona.

II. Prædictiones scripturarum, veraces quidem, eventuum tamen, non sunt causæ, neque illos necessitate aliquâ, vel absolutâ, vel simplici consequuntur. ^a

III. Non statim sequitur, ut quia Prophetæ prædicit, veniat, quod prædixit, non enim prædicit, ut veniat, sed ne veniat: nec quia Deus loquitur, necesse est fieri, quod minatur: sed ideò comminatur, ut convertatur ad penitentiam cui minatur: & non fiat, quod futurum est, si verba Domini non contemnantur. ^b

IV. Non

IV. Non sinerit bonus, fieri mali aliquid, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bene: qui voluntates suas, utiq; bonas, implet aliquando, per malorum hominum voluntates malas. ^c

V. Præscientia, non est causa eius, quod futurum est, sed id quod futurum est, causa præscientiæ: siquidem, non præscientia sequitur futurum; sed futurum consequitur præscientiã. ^d

VI. Cum Pater tradidit Filium, & Dominus corpus suum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione, pius est Deus, & homo reus? nisi, quia in una re, quam fecerunt, causa non una est, ob quam fecerunt. ^e

VII. Peccatum, cum sit defectus, & privatio, non opus habet causã efficiente, sed deficiente. ^f

VIII. Quædam & facit Deus, & ordinat: quædam tantummodò ordinat: justos & facit, & ordinat: peccatores, in quantum peccatores, non facit, sed ordinat tantum. & Dixit, fiat lux, & facta est lux: non dixit, fiant tenebrae, & facta sunt tenebrae. Horum ergò unum fecit, & alterum non fecit: utrumq; tamen ordinavit, cum dividit Deus inter lucem, & tenebras, ita & ipso faciente pulchra sunt omnia: & ipso ordinante pulchra sunt singula. ^h

IX. Malum duplex, delicti, & supplicij: sive malum culpa, & malum pœna. Suum cuiq; parti definimus authorem: malorum peccati, & culpa Diabolum: malorum verò supplicij, vel pœna, Deum Creatorem. ⁱ

X. Cum scriptura dicit, nullum in civitate malum est, quod non fecerit Dominus, his verbis Deum malorum esse authorem minimè ostendit: sed, quia mali vocabulum anceps est, duplicemq; significationem habet: interdum enim id, quod naturã malum est indicat; quod quidem cum voluntate, & naturã Dei pugnat: interdum rursus, quod sensus nostri iudicio malum, ac molestum est, velut afflictiones, & immissæ calamitates,

tates, quæ quidem opinione nostrâ malæ sunt, ut quæ dolorem afferant, at revera bonæ: his enim, qui sagaci animo sunt, hoc præstant, ut ad meliorem frugem se recipiant, ac salutem obtineant. ^k

X I. Inter scelus, & peccatum ipsum, & inter sceleris alicuius ordinationem accuratis limitibus discernendum: ortus sceleris à Diabolo; sceleris determinatio à Deo. ^l

X II. Cum auditis: Ego Dominus seduxi prophetam illum: vel, quem vult indurat: eius merita cogitate, quem sic obdurari, vel seduci permisit. ^m

X III. Iubet Dominus: sic est; ut pœna sua, sibi sit omnis inordinatus animus. ⁿ

X IV. Verba hiphil, non semper significant operationem efficacem, & approbativam tertiæ personæ: sed sæpe usurpantur verba illius conjugationis, quando vel prece, precio, permissione, vel alio modo actio pendet ab illo, qui dicitur indurare, errare fecisse. ^o

^a Augustin. lib. 22. de Civitate Dei contra Faustum cap. 78. ^b Hieronym. in 32. Ezech. Tom. 5. Aug. lib. 5. de Civ. Dei cap. 10. ^c Augustin. in Enchirid. ad Laurent. cap. 100. & 101. ^d Iustinus quæst. 58. ^e August. epist. ad Vincentium 48. ^f August. lib. 12. de Civ. Dei, cap. 7. ^g August. de Genesi ad literam oper. imperf. cap. 5. ^h paulò post iterum. ⁱ Tertullianus. Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 1. ^k Damascenus lib. 4. c. 10. ^l D. Hunnius, in aureo suo libello, de prædestinatione. ^m Aug. lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 23. ⁿ August. lib. 1. confess. c. 12. ^o Capito, in sua Grammatica.

XXXIX.

Patres quod inclamant adversarij, miramur profecto, cum non sint ipsorum filij, aut si sunt, certè degeneres, minimè attendentes, se à scriptoribus Ecclesiasticis, gravissimè oppugnari.

X L.

Quod B. & reverendum patrem Lutherum, blasphemâ suâ doctrinâ implicare volunt, qui tamen contra illos superius testimonium dixit, nihil alienum à furoribus se&ta huius videtur, quoniam Deum ipsum, non verentur in consortium trahere.

XLI. *ut*

XLI.

Ut autem liquidius pateat, tantum istis cum Luthero, quantum luci cum tenebris, ipsum LVTHERV M loquentem audiamus. ^a Hæc studiosè & accuratè sic monere, & tradere volui, quia post meam mortem, multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores, & deliria confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua, esse omnia absoluta, & necessaria: sed simul addidi: quòd aspiciendus sit Deus revelatus: sed istos locos omnes transibunt, & eos tantùm arripient de Deo abscondito.

^a In enarratione cap. 26. Geneseos.

XLII.

Et si maximè daremus hoc adversarijs, scriptum alicubi à nostratibus: Deum non permissivè, sed potenter etiam mala operari; in quam sententiam videas quædam apud Dn. Philippum, ^b *tamen, ne hoc quidem modo suum propositum obtinerent. Discrimen enim animadvertendum, quòd aliter agat Deus, aliter homo, malum nimirum: hic, ut author, ille juxta Augustinum,* ^c *ut ordinator, qui ad finem ordinat certum, peccata hominum, & malis benè utitur.*

^b Philippus Melanchthon in 8. cap. ad Romanos editione anni 25.

^c Aug. lib. 22. de Civitate Dei contra Faustum cap. 28.

XLIII.

Ex usu omnium Φιλοφιλίωπων esse arbitror, si Philippi verba, quibus præsentem hanc questionem enucleat, & illustrat huc apponantur. Citantur, inquit ^d *horridè dicta. Quem vult indurare & similia, &c. Vnde ratiocinantur, Deum impellere mentes, & corda, ut sceleratè faciant. H I C ERROR EXECRANDVS EST.*

^d In epistola ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem.

XLIV.

Sanctiores omnibus istis Θεομάχοις sunt 1. Gentiles, 2. Iudæi.

XLV.

Gentiles quidem; sic enim princeps omnium Gentilium,

C 3

Home-



Homerus;^a & μὲν χέτλια ἔργα, θεοὶ μάκαρες φίλεσσι. PLATO:
b Bonorum, solus Deus causa est dicendus: malorum
autem, quamlibet aliam, præter Deum, quærere causam
licet.

^a Odyss. 5. ^b Lib. 2. de Republica. Iustinus oratione prima ad Gentiles.

XLVI.

Iudæi verò, *PHILONIS enim verba, hæc sunt:* & Ipsi
omnipotenti, non erat conveniens in rationali anima,
viam ad vitia sternere: quamobrem ministris eam par-
tem faciendam commisit. Superest illud considerandū,
Deum bonorum tantummodò causam esse, mali autem
prorsus nullius. Quandoquidem ipse bonum omnium
antiquissimum est, & perfectissimum. Decet autem suæ
naturæ propria operari, optimum optima: improborum
autem pœnas, per ejus ministros sanciri.

Idem^d Ergò, nullum facinus supputatum dolosum,
& datâ operâ meretur, ut dicatur, factum ex Dei senten-
tia, sed ex nostra propria. Inter nos ipsos enim, thesauri
vitiatorum sunt, apud Deum verò, solorum bonorum.
Quisquis igitur eò confugerit, id est, quicumq; peccati
authorem, non seipsum, sed Deum accusat, puniatur. Est
autem *NÆVVS INSANABILIS, AVCTOREM MALO-
RVM, DEUM DICERE.* Proindè, qui sic malè morati
sunt, ut seipsos magis ament, quàm Deum, procul à sa-
cris manent scelesti, ac impuri, nec è longinquo sacram
flammam animæ inextinguibiliter accensæ, à Deo con-
secratae, spectare idonei. *Hætenus PHILONIS Iudæus.*

^c De confusione linguarum. ^d de profugis.

XLVII.

*Quòd, si qui obstinati, in hoc errore perstiterint: sciant,
sibi ardere gehennam, & flammis, non Spiritus sancti flam-
mine, Deum adversus illos dimicaturum.* ^f Sermo meus,
quem locutus sum, judicabit vos in novissimo die.

Rom.

e Rom. 2.v.8.9. f Apoc. 10.v.10. Ioh. 12.v.48.49.

XLVIII.

Postquam τὸ ἀληθές, in hac questione patefeci: τὸ ψεῦδος
δόλογον rejeci, ita, ut veritati, suus nitor, mendacio verò, sua
ἀσχημοσύνη, deformitas, & turpitude constet: rogo Patrem lu-
minum, ut totius disputationis cursum, ita moderandum assu-
mat; quò veritatem investigare, investigatam rectè exponere,
rectè expositam, omni posthabito præjudicio, amplecti, & secula-
ri valeamus: illuc deniq; nos deducat, ubi pro splendore lucis
Evangelicæ grates meditemur Agonothetæ Deo Patri, Epistatæ
Christo, Xystarcho Spiritui sancto, à quo omnis veritas, in quo
omnis charitas, per quem nobis firma est sanitas, AMEN.

Prudentius, de Hamartigenia.

Inventor vitij non est Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit, &c.
Sed fuit id quondam nobis sanctumq; bonumq;
Principio rerum cum Christus conderet orbem:
Vidit, ait, Deus esse bonum, quodcunq; creavit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo
Inspirante Deo, quod sanctus vaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,
Esse bonum quicquid Deus, & sapientia fecit,
Conditor ergo boni Pater est, & cum Patre Christus.
Nam Deus atq; Deus Pater est, & Filius unum.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

XIV III

CALISTUS

TORN

Præsentium de Hæreticis

non est Deus

etiam in conspectu mundi

sed tunc id propitium nobis

transiit rem cum Christus

vidit autem Deus esse

hoc est quod hoc factum

in mente Deo quod factum

in mente antiquæ

hic bonum quod dicitur

conditor ergo boni

nam Deus est Deus

Hæreticorum

per Johannem Gorman

anno M D C I X



ULB Halle

3

003 142 353




56.

V 7 17







B.I.G.

Farbkarte #13

33

E
TIGENIA,
 EV
PECCATI;
 isitio:
 uta;
 m, sacrorum curam
 dioecesi, & jurisdictione, Illu-
 on. Dn. Baronum à Wolff-
 Obernstulzburg / &
 ontinentur.

KAVFMANNO
 s in Obernstulzburg
 narum Ecclesiarum
 ore.
 apθεοτοξίας.

9.

S I Æ
 NTZENBERGER
 bat.

